

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

DISSEMINATIO MEDICA

REACTIVARIA

TYPHUS

DISSEMINATIO MEDICA

TYPHUS

TYPHUS

DISSEMINATIO MEDICA

TYPHUS

TYPHUS

TYPHUS

6

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

T Y P H O :

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI ;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu ;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto ;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

Eruditorum examini subjicit

RICHARDUS KIRBY,

HIBERNUS.

SOCIET : REG : PHYS : EDIN : SOC : ORD.

NECNON,

SOCIET : HIB : MED : EDIN : OLIM SOD.

----- Hoc etenim morbi genus, uti prae ceteris vulgare est, ita propter atrocitatem casuum artem medicam impensius desiderat. Morborum nonnulli, peculiari vel loco vel etiam seculo ingravescent : Febres fere solae sunt omnibus aequae terrarum partibus, omnibus aequae seculorum aetatibus communes.

FRIEND : COM : I. IN HIPPOCRAT : DE FEB.

Ad diem 12. Sept. hora locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

1800.

DISSEMINATIO MEDICAE



1783

T. Y. P. H. O.

1783

VIRI RESPECTABILISSIMI

Ex Auctoritate Universitatis Edimburgensis

D. GEORGE COLTHURST, M.D.

DE DRIPSEY-CASTLE

IN COMITATU GORCAIRNSHIRE

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

QUAE CIVEM ORNAM

CONSPICIUNT

DE PLEBIS

COLLATA

HOC OPUSCULUM

GRATI ANIMI RE OBSERVANTIE PIGNUS

SACRUM

RICHARDUS KIRBY.

1783



VIRO SPECTATISSIMO

JOANNI COLTHURST,

DE DRIPSEY-CASTLE,

IN COMITATU CORCAGIENSI,

ARMIGERO ;

MORUM COMITATE, ET OMNIBUS,

QUAE CIVEM ORNANT, VIRTUTIBUS,

CONSPICUO ;

OB PLURIMA IN SE SUOSQUE

COLLATA BENEFICIA,

HOC OPUSCULUM,

GRATI ANIMI ET OBSERVANTIÆ PIGNUS

SACRUM VULT,

RICHARDUS KIRBY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

AUCTORE, RICHARDO KIRBY,

PROOEMIUM,

UT celebris hujus Academiae decretis, quantum in me est, morem geram, quaedam de Typho, in hoc inaugurali tentamine, differere statui.

Inter morbos, quibus obnoxia est humana vita, nullus cuilibet conditioni, sexui, aut aetati minus parcit; saevius aut latius grassatur, ut vix ulla regio ab hoc immunis dici queat: adeo frequens est in nostra praesertim insula, ut prae

A

aliis

aliis medicorum attentionem sibi meritò vindicet. Hoc argumentum tractandum suscepi, non tam vanâ allectus spe aliquid novi proferendi, quam ut, quae ex meis illustr. Professoribus audiui, aut ex libris didici, de morbo gravissimo, mihi in mente revocarem.

MORBI CHARACTER.

HAEC nostri aevi medicis saltem debetur laus, quod varios morbos, quibus plectitur humanum genus, à veteribus scriptoribus passim, sine ordine et in indigesta serie, prius in eorum operibus exhibitos, in perspicuum concinnumque nosologicum ordinem redigerint: unde et tyronibus multo minor labor, clinicisque fida, quicum aegri affectiones comparent, tabula exhibitae est.

Inter solertes medicos, qui hujusmodi operibus animum intenderunt, imprimis eminent clarus Sauvagesius et illustr. Cullenus, hujus Academiae lumen.

Hic de febribus agens, eas ad pauca genera deduxit, meritò respuens eas omnes febrium divisiones et nomina ab antiquis usitata, quae nihil aliud denotant nisi ejusdem morbi varietates et diversa symptomata. Hinc in febribus continuis, tria tantùm genera comprehendit Cullenus; inter quae stat morbus de quo agimus, cui nomen *Typhi* dedit, et quem sequentibus verbis ita definivit: “ *Morbus contagiosus; calor parùm auctus; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; urina parùm mutata; sensorii functiones plurimùm turbatae; vires multùm imminutae.*”

In hac definitione et sub hoc nomine, comprehendendi debent omnes febres contagiosae, quae in variis temporibus varia nomina habuerunt, veluti febris pestilens, maligna, petechialis, lenta, nervosa, nervosa putrida, contagiosa putrida, febris carcerum, castrensis, biliosa putrida, &c. utpote quae natura eadem non nisi nomine, gradu, aut violentiâ discrepent.

In hac *Typhi* definitione, praecipua morbi

symptomata ita exhibentur, ut cuilibet ad eam attendenti, morbus facilè innotescat. Synocha, five inflammatoria febris, longè diversam indolem exhibet; in hac pulsus reperitur frequens, validus et durus, urina rubra est, facies florida et tumida, calor corporis magnus, sanguis missus densam et tenacem crustam exhibet; praeterea morbus non contagiosus est, et plerumque oritur ab errore aliquo in rebus non naturalibus; haec verò non ita evenire in Typho ex prolata definitione satis evidens est: quod si, in initio morbi, aliquid dubii exurgeret, progressus morbi et hujus historia nunc tradenda nondum solveret.

MORBI

MORBI HISTORIA.

TYPHI historiam describentes, quo dilucidior fiat oratio, morbi cursum in tres partes seu gradus dividemus.

GRADUS PRIMUS.

Magna totius corporis debilitas, infuetus languor, cibi fastidium, frigoris et caloris alternantes sensus, cum insolita animi demissione, et ad omnem motum averfatione insigni, Typhi pedetentim obrepentis tristitia praenunciaprehenduntur; deinde frequens adest nausea, insipidae pituitae eructatio, facies pallet et collabitur; jam somnus nullum levamen affert, at pro blanda quiete diris aeger torquetur insomniis; mali jam vehementiâ ita laeditur constitutio ut aegrotans omnis animi attentionis impatiens, consuetis negotiis valedicat, seque his imparem esse

esse fateatur, pessima quaeque ominans; etsi aegritudo non tanta fit adhuc ut lecto affigatur, ea tamen est ut magnam molestiam faceffat; capitis interim dolore obtuso, vertigine, frigoris, ut observat Huxhamus, sensu, secundum futurae coronariae decursum, afficitur; nec jam strepitum aut lucem tolerare potest; aegrè spiritum trahit, suspirat frequenter, de constrictionis sensu circa praecordia conqueritur, quamvis hic dolor rarò tussi comitetur; pulsus celeres, debiles, facilè comprimendi, nunc tremuli nunc intermittentes, reperiuntur; urina tunc pallida est, aut cerevisiae tenui et vapidae haud absimilis, gradatim verò in morbi decursu mutanda; alvus tarda, rarissimè sed interdum naturalis, linguae status nunc à naturali paululum deflectit, et muco albedo obducitur.

De calore multùm conqueritur aegrotans, nec tamen multùm fitit, et cutis, quae nunc ficca evadit, revera parùm calet. Symptomata haec, ut in plerisque febribus solet, mane aliquantulum levantur, iterum vesperi aggravanda: tunc enim

enim dolor capitis, vertigo, calor, pulsûs frequentia, iterum ingravescent.

GRADUS SECUNDUS.

Ita quidem sese habet aeger primis morbi diebus, aut etiam primâ hebdomadâ ; pro enim febricitantis constitutione, contagii in corpus recepti malignitate, plus minusve rapidè progreditur Typhus ; gradatim verò, nisi ars aut natura levamen afferat, malum indies in pejus ruit ; omnia symptomata aggravantur ; languor et debilitas augentur ; praecordiorum constrictione, molestia, anxietas, delirium, vehementer urgent, et vix erectus sedere aut stare potest aeger, quin animo linquatur. Frigidi, glutinosi sudores erumpunt in multis corporis partibus, brevi rursus evanescentes : hi, praesertim in fronte, et averfis manibus erumpere observantur ; non rarò extremitates aurium et nasi frigidae reperiuntur, dum volae et genae ardescunt ; cephalalgia et vertigo nunc magis faevunt ;

unt ;

unt; malum non rarò ad aures extenditur et inde oritur tinnitus aurium, in nonnullis furditas: aeger penitus delirat, frequenter sibi misfitat verba incohaerentia ab astantibus nequaquam intelligenda; jam tendines subfilire, manus tremere observantur; lingua nunc admodum ficca et nigricans in medio evadit, in aliqua parte fissa et dehiscens, margine subflava aut subviridis, magnopere tremibunda si fortè exferatur; dentes materiâ nigrâ obducuntur, et insuavis ex ore oritur odor; urina magis limpida est, quamvis nonnunquam nebula quaedam in ea observetur.

Non rarò eodem morbi tempore, petechiae varii coloris erumpunt, alias purpureae, alias subfuscae vel nigricantes, in pectore et dorso potissimùm detegendae; nonnunquam sed rarissimè crura et brachia his foedantur. Haec tamen eruptio nullo definito tempore suboritur; in quibusdam aegris a quinto die observatur, in aliis non ante decimum quartum. Multùm hae pendere videntur a quibusdam aliis causis concurrentibus,

rentibus, veluti ab aëre nimis calido et impuro, immunditiis, &c.

Hae petechiae aliquando tam spissae sunt, ut oculus nihil, nisi continuam rubrarum macularum feriem, detegat; et cutis tota solito tantum floridior appareat: hinc in illis detegendis, solertia quaedam nonnunquam requiritur.

GRADUS TERTIUS.

Haec in medio febris statu ita ferè occurrunt: sed nunc aegrotans, vi mali magis ac magis debilitatus, sensim fatiscit.

Sudores copiosiores et constantiores fiunt: his exhauritur febricitans; aut perpetuâ diarrhoeâ, quae non rarò eodem tempore occurrit. Artus nunc continuò frigent; subsultus tendinum, prout vires deficiunt, increfcit; visus obscuratur, et retina laesa radios lucis ex parte tantum sentit, et hinc aliquando flocculis ob oculos ludere apparentibus decipitur aeger; jam nec strepitu nec

vividâ luce, in initio morbi intolerandis, afficitur; oculi immobiles fiunt et concavi; facies cadaverosa fit, ungues pallidae et lividae; vox deficit, vel ita debilis fit, ut vix audiri possit aeger; deletur devorandi facultas; pulsus interim ita debilis et celer reperitur, ut vix ictus arteriarum numerari queant. Faeces atque urina, infcio aegro, elabuntur, et sine causa defluunt lacrymae.

In hoc ultimo morbi stadio, vibices aliquando in multis corporis partibus, apparent; nigrae aphthae circa os, linguam, et in faucibus deteguntur; urina eodem tempore nigricans et foetida redditur, et faeces sanguine tinctae sunt; sanguis non raro prorumpit è gingivis, è naribus, et aliis partibus, veluti ex ulceribus vetustis.

Omnia nunc ad extrema ventum esse testantur: singultus, tremores permagni in toto corpore, aut coma somno non removendo excipiendum, luctuosae scenae finem imponunt.

Haecenus morbi ad lethalem exitum vergentis historiam tradidimus; symptomataque exposui-

mus,

mus, quae vulgò in ejus decursu occurrunt: sed accuratam ejus descriptionem exhibere admodùm difficile est. Morbi enim forma, duratio symptomatum, ordo, gravitas, numerus, mirum in modum variant.

In his morbus admodùm lenis est, celeriterque transit; alias aegrotans per totum tempus comate plus minusve profundò sopitur, nulla judicii signa demonstrans: in somno ferè continuò cursum morbi pertransire videtur; in aliis morbus etiam ab initio vehementissimus est, et debilitatis magnae et putredinis signa citò manifesta fiunt. Hinc pro aegri temperamento, vitae genere, coeli aspectu, anni tempestate, variam Typus indolem induit.

Quod verò ad ejus durationem attinet nihil certè quoque judicari potest; haec ab ejus graviore vel mitiore statu multùm pendere videtur: aliquando aeger intra quinque vel septem dies convalescet, sed hoc quidem rarissimè evenit; in aliis exemplis per septem hebdomadas differtur sanitas: cum per tantum temporis spatium pro-

greditur Typhus, a fatuitatis periculo non immunis est aeger, quae tamen paulatim vulgò recedit cùm vires iterum restituantur.

Nonnullis clinicis placuit diem decimum septimum annotare, quo si pervenerit aeger, de ejus salute non desperandum esse, et omnia in melius mutari sibi persuasum habuerunt. Alii medici Typhum aliquando vel morte vel sanitate, quam rariùs, circa septimum diem terminari memoriae tradiderunt : alii undecimam diem indicant tanquam pessimam ; sed de his nihil fati certi habemus cui fidere possimus.

CAUSAE

CAUSAE REMOTAE.

CAUSAE, quae morbo originem praebent, in duas classes, praedisponentes scilicet et excitantes, meritò referri solent.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Ea, quae corporis humani vires ita debilitant, ut hoc magis causae excitanti obnoxium fiat, inter causas praedisponentes censerì debent. Haec verò sunt deprimentia animi pathemata; vita sedentaria; exinanitiones nimiae; venus immodica; errores in diaeta; longa inedia; calor, frigus, &c.

Affectus animi tristes quotquot sunt, brevi corpus debilitant; tanta enim adest, inter corpus et mentem, sympathia, ut haec graviter affici nequeat, quin brevi corpus ejusdem affectionis particeps fiat. Inter verò animi affectus, metus praecipue

praecipuè corpus ad contagium recipiendum opportunum reddit; hic enim vim cerebri et idcirco actionem cordis et arteriarum imminuendo, sanguinem ab extremis partibus avertit; cutem gelidam et pallidam reddit, omnesque functiones debilitat: hinc in locis in quibus faevunt contagiosi morbi, hi non rarò immunes a contagio evadunt, qui animo laeto et confidente praediti sunt; dum contra timidi et moesti contagio absumuntur.

Vita sedentaria. Homines hoc vitae genere, debiles admodum fiunt; exercitatione enim corpore non ut decet firmato, muscoli flaccidi fiunt, nervi vires amittunt, sanguinis motus languet, ventriculus infirmatur, et concoctio non ritè perficitur; omnis uno verbo organorum secernentium vitiatur actio, et sic, ut videtur, ad hanc febrem magis proclives fiunt.

Homines molli et laxâ fibrâ praediti, quaecunque fit hujus laxitatis causa, magis hujusmodi febribus obnoxii fiunt.

Constantinopoli, Turcæ, multis ablutionibus
tepidisque

tepidisque balneis quotidie debilitati, magis quam alienigenae peste, corripì dicuntur.

Magnae sanguinis jaëturæ, sive arte factæ sive casu, veluti gravibus vulneribus, corpus debilitant et Typho obnoxium reddunt: idem quoque verum est de nimia venere. Immoderata feminis profusio, ut monet illustr. Gaubius, non tantùm utilissimi humoris jaëturâ, sed ipso etiam motu convulsivo quo emittitur, corpus imprimis laedit. His addi debent aliae causae infirmantes, veluti studium intensum, pervigilia nimis protracta, negotia, meditationes continuæ et alia ejusmodi, corporis sanitati perniciosissima.

Diaeta nimis lauta et copiosa vel prava et tenuis, corpus aequè laedunt. Effectus pravae diaetae, veluti parum nutrientis cibi, aut non debitâ quantitate suppeditati, non minus deplorandi; et ibi Typhum saevius grassari, ubi inedia et rerum inopia adest, luctuosa docet experientia*.

Calor

* Edinburgh Medical Essays, vol. iv. p. 28.

Calor immodicus quoque homines ad hunc morbum proclives reddit: hinc in calidis regionibus non rarè faeviunt malignae admodum hujus generis febres.

Frigus haud fecus ac nimius calor, praesertim si magnum et diuturnum fuerit, aut cum humiditate conjunctum, proclivitatem ad Typhum facit.

A quibusdam medicis, inter causas Typhi, excitantes recensitum est: frigus verò corpus tantum ad Typhum proclive, non verò hunc excitare, mihi verisimile videtur. Non me fugit plurimos morbos actione frigoris solâ quotidie induci, veluti synocham, catarrhum, pneumoniam, rheumatismum; sed hi morbi tum indole tum medendi ratione, longe à morbo de quo differimus discrepant, et non contagiosi sunt.

CAUSA EXCITANS.

Contagium igitur humanum tanquam solam Typhi causam excitantem habere vellem. —

“ Dum

“ Dam spirat homo, observat illustr. Professor
 “ Gregory, lethale sibi aliisque spirantibus ve-
 “ nenum fundit; neque solus pulmonis halitus
 “ adeo nocet: manat ab omni cutis foramine
 “ materia subtilissima, venenata, fortassè putre-
 “ scens, quae diu collecta, neque per auras dif-
 “ fusa, et corpori denuò admota, aut iterum in
 “ idipsum recepta, gravissimis morbis inficit;
 “ nec sistit gradum, sed veluti vires per pabu-
 “ lum naeta, longè latèque per populos gras-
 “ satur *.”

Febrem Typhoideam hoc modo generari innumera probant exempla.

In carceribus et in aliis locis ubi conferti homines diu includuntur, libero aëris externi circuitu privati, hic morbus præcipuè grassatur. Unum tantùm aut alterum exemplum hîc referam.

C

EX

* Gregory, *Conspectus Medicinæ Theoreticæ*, tom. i.
p. 33.

Ex centum et quadraginta sex hominibus, qui in carcere Calcuttae, deficiente scilicet aëre puro, et halitu inquinato spiritu recepto, centum et viginti tres, intra unius noctis spatium, fato occubuerunt: alii verò e cladi superstites Typho correpti fuerunt*.

In comitiis Oxoniae habitis anno 1577, referenti Camdeno, venenoso et pestilenti halitu paedore incarceratorum ita correpti sunt plerique omnes qui aderant, ut intra quadraginta dierum spatium ferè singuli, praeter mulieres et pueros, obierunt: inter hos fuere viri graves et juris scientia clarissimi †.

Exemplum.

* Vide Medical Extracts on the Nature of Health, &c. London 1796. Tom. i. sect. 11. p. 46, et seqq.

† Vide Camden's Annals of Queen Elizabeth, p. 271, folio, London 1615.—English Translation, third edition, folio, p. 196, London 1635.—Stowe's Chronicle for 1577, p. 681, London 1615.—Sir John Piingle's Diseases of the Army, p. 300.—Mead's Works, p. 209.

Exemplum simile recentius observatum est, in curia dicta “*Old Bailey*,” ubi quatuor ex iudicibus, duo vel tres ex jurisconsultis, aliique adstantes, aurâ pestiferâ in curiam a reis advectâ, percussî perierunt.

Narrat eques Pringlius, in suo de militum morbis libro, ex viginti tribus hominibus, qui in tentoriis vetustis, ubi nonnulli decubuerant aegri, refarciendis occupati fuerunt, septem Typho correptos fuisse et enecatos.

In narratione febris malignae epidemicae Corcagiensis, auctorem causam ejus rerum harum conjunctioni imputare videmus, viz. coeli humiditati, aquae impuritati, lanienarum, quarum hîc sunt valdè multae, infectioni, purgamentis putrescentibus, in plateis et vicis relictis, simul cum carnis magna quantitate, quam tempore cibaria suppetandi, sine pane aut liquoribus fermentatis, pauperrimi comedunt*.

C 2

In

* Vide Dr. Rogers's *Essay on the Epidemic Diseases of Cork*, p. 36 et 47, 8vo, Dublin 1734.

In hac regione Typhus multùm faevit in hi-
berno tempore, inter pauperes qui, tuguriis suis
inclusi, in aëre impuro, perpetuo humano ha-
litu foedato, magnam temporis partem consu-
munt.

Haec exempla, quibus plura addere possemus,
luculenter probant Typhum originem ducere ex
halitu humano, vel recens ex corpore aegri hoc
morbo affecti efflato, et corpori sani hominis ad-
moto, vel ferius ex contactu rerum coinquina-
tarum.

Quidam, et non parvi nominis medici, Ty-
phum, magnâ corporis defatigatione et insigni
animi moestitiâ, excitari posse opinantur : si verò
haec opinio febrium sporadicarum quarundem
originem

“ Hoc in libro febris malignae et variolae originis,
“ historiam plenam habemus, ab aëris corruptione, urbi
“ Corcagiae ab mense Sextile usque ad Januarium, pro-
“ priae, ortae. In hac urbe ingens pecudum numerus,
“ ad centum et viginti millia quotannis mactatur, ad
“ usum nauticum.” PRINGLE, p. 327.

originem feliciter explanet, Typhi tamen gra-
vioris et per contagionem propagati; de quo hîc
praecipuè agere in animo est, alia petenda est
causa: hanc verò nihil aliud esse quam effluvia
à corpore humano ex dictis certum est.

Quaenam sit perniciosissimi hujus halitûs na-
tura multi iatro-chemici, parvo tamen successu,
investigare conati sunt: subtilissimam enim ejus
naturam cognoscere, et chemicas dotes explorare,
valdè arduum est.

Nonnulli, quasdam contagiosas febres, gase
nitroso feliciter extinctas fuisse, animadvertentes,
morbi fomitem alkalinae esse naturae, sibimet
persuaserunt. Cum verò animo reputamus, mul-
torum chemicorum officinis ingentem ammoniac
copiam quotidie evolvi, et in aëra diffudi, neque
tamen hunc aëra respirantes, Typho affici: hanc
opinionem, lubrico admodùm niti fundamento,
credimus.

Acida fortassè contra contagium pollent, non
quia illud innocuum reddunt, sed quoniam aëra
minus aptum efficiunt, ut ejus sit vehiculum.

Alii,

Alii, contra, inter quos Mitchillius Neoboracensis medicus, et Darwinius, contagium Typhi acidæ naturæ esse, existimaverunt: ille contendit id nihil aliud esse, quam *oxydum gazeosum azoti*: hoc oxydum vitæ inimicissimum esse, nemo inficias ibit: hoc tamen idem esse ac contagium Typhi nullo probatur argumento; nec eos, qui *nitratem ammoniæ* parando, plus minusve vaporibus *oxydi gazeosi azoti* expositi sunt, pestilentibus febribus potissimum corripì videmus. Hinc artem chemicam, pulcherrimis inventis, nostro aevo, non immeritò celebrem, nullam adhuc in hanc rem, lucem attulisse fatendum est: naturamque contagii hujus febris densissimâ adhuc caligine latere.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

TYPHI, tam proximae, quam excitantis causae, aequè ignoramus. Tot hac de re opiniones fuerunt, quarum pleraeque jam obsoluerunt, ut eas hîc exponere nequaquam sinunt hujus dissertationis limites.

Celebris Sydenhami, doctissimique Boerhaviî doctrinae, vix ullos in nostro aevo fautores habent: recentior Culleni theoria, ob magnas, quibus premitur, difficultates, à multis hodie deseritur: non enim rectè intelligitur cur atonia spasmus gignet: magnam debilitatem, nullo spasmò huic succedente quotidie videmus.

Beddoefius et Woodius nuper, ex eo praesertim tempore, quo omnia novis chemicis principiis explanare, mos invaluit, proximam Typhi causam *carbonii* et *hydrogenii* redundantiae, aut *oxygenii* inopiae, attribuerunt; quum morbum, praesertim mixturâ ex *nitrate potassae* compositâ,
aut

aut medicamentis magnam vim oxygenii continentibus, sanatum aliquando viderunt.

Si res ita se haberet, unumquemque Typho correptum, progrediente morbo, scorbuticum fieri, inde sequeretur : praeterea non facilè quis concipere potest, quomodo cortex Peruvianus et vinum, adversus hunc morbum, quid valere possent, cum hoc *hydrogenium*, ille vero *carbonium*, magnoperè suppeditent.

Sagacissimus hujus Academiae Professor opinatur, sanguinem, dum per extrema vasa cursum legit, quandam subire mutationem quâ calor evolvitur, et sanguis ipse aptior evadit ad organa fecernentia stimulanda. Si autem actio horum vasorum a statu naturali deflexerit (quod in febre accidere verisimile est) haec mutatio salutifera malè processerit*.

PROGNOSIS.

* Dr. Rutherford's Clinical Lectures on Fever.

PROGNOSIS.

Non rarò, febris per cursum suum quaedam signa futuri eventûs exhibet: sed magnâ sagacitate et prudentiâ hîc opus est: peritissimus enim medicus lubricâ morbi indole saepissimè decipitur. Saepe in morbi initio omnia symptomata mitia admodùm apparent, omnique vacua periculo, cum subitò morbus in pejus ruit, et aeger improvise fato occumbit. Saepe autem, postquam morbus ad summum pervenit, et omnia signa pessimi ominis esse videntur, febricitanti obrepit somnus, et levis sudor manat cum manifesto omnium symptomatum levamine, et aeger, cum magna adstantium laetitia ferè subitò convalescit.

Cùm tamen multa signa à medicis notentur, quae nunc felicem, nunc funestum exitum, indicant, hîc pro more ea exponemus.

Si delirium sit leve, nec vires multùm fra-

D

ctae;

ctae; si facilè recumbat aeger in alterutrum latus, et in lecto facilè posituram mutet; si nocte dormiat et interdiu vigilet; si pulsus arteriarum, cardiacis administratis, pleniores fiant, si provento morbo lenis adsit fudor, aut diarrhoea affectionem capitis levans; si lingua, prius foeda, iterum munda et humida evadat, copiosiorque fiat saliva, redeunte simul appetitu; si urina nunc turbida, magna cum copia reddatur; si in diversis corporis partibus tumores benignae apparent indolis, vel aphthae prius fuscae albiae fiant; si haec, inquam, ita contingant, omnia aegro fausta successura ominandum est.

Cùm verò omnia morbi signa magnam debilitatem indicant, aut humorum ad putredinem proclivitatem annunciant, nihil faustè praesagire potest medicus vel confidentissimus.

Pessimi ominis signa sunt: I. In *functionibus animalibus*, extrema lassitudo, ad omnem motum impotentia, cùm in lecto resupinus jacet aeger, cruribus extensis, aut deorsum ad pedes lecti prolabitur, omni prorsus vi destitutus; cùm
consuetum

confuetum imperium musculorum voluntati parentium ex parte destruitur, et motus eorum irregulares admodum fiunt; verbi gratiâ, si manus et labia tremunt, tendines subsiliant, nervi distenduntur, oculi strabismo afficiantur, aut eorum motus admodum lenti fiant; cum omnes sensus admodum obtusi evadunt, nec solitis stimulis excitari possunt; si oculi luce admotâ fixi remaneant, neque ullus pupillae motus observe- tur, aut omnia obscura vel duplicia videt aeger; si ita vitientur auditûs organa, ut surditas uni- versa, aut constans aurium tinnitus inde sequa- tur; cum mentis facultates disturbantur, ut ve- terno, comate, pervigilio, diris insomniis, deli- rio atroci, perpetuè vexeter aeger. II. In *fun- ctionibus vitalibus*: pulsus valde debiles et abnor- mes, frigidi sudores, faciei pallor, livor ungui- um, manuum, pedum, summi nasi, et aurium frigus, deliquium animi ex mutata positura, vel ex levissimo motu, respiratio laesa, brevis, frequens, difficilis, nullo praegresso pulmonum morbo. III. In *functionibus naturalibus*: cum

debilitas ventriculi insignis adest, et aeger anorexiâ, nauseâ, vomitu, constanter plectitur; cum gustus et olfactus penitùs corrumpuntur; cum sphincteribus paralyfi affectis, urinâ et facies incio aegro profluunt, cum ita afficiantur pharyngis muscoli, ut devorandi facultas penitùs deleatur.

RATIO SYMPTOMATUM.

SENSUS generalis lassitudinis, et virium prostratio, pro causa agnoscunt contagium jam receptum in corpus, vi suâ infirmante fibras musculares, totumque corpus afficiens.

Pulsus frequentes et abnormes à disturbata actione cordis pendere videntur; sive cor, propter magnam debilitatem, unâ contractione sese deplere non valeat, ac proinde ad motus frequentiores cieatur, vel quia adeo irritabile factum est, ut minore sanguinis copiâ stimuletur, aut quia tandem illud, diverso prorsus ac antea modo,

modo excitet, sanguis consuetas dotes non ampliùs retinens.

Urinae pallor initio morbi, spasticâ constrictione, quâ fit ut crassiores partes recusent renum secernentia organa, pendet: cùm deinde rubrior fit, id evenit quia tum renum vascula magis relaxantur, et crassioribus partibus faciliôr patet exitus: quanquam multorum secretionum, quae tum fit mutatio, aut quarundam aliarum suppressio, non immeritò ascribatur insignibus mutationibus quas patitur sanguis per extrema vascula transiens: jam secretionibus perficiendis minus idoneus; hinc saliva deficit; lingua nigrescit: perturbantur omnes naturales functiones.

Stupor et vertigo, è languidiore per cerebrum sanguinis motu, oriri videntur.

Proclivitas ad animi deliquium in situ corporis erecto, ex sanguine justo minore quantitate ad caput misso, oritur.

Tremores et subsultus tendinum magnam fibrarum muscularium irritabilitatem ostendunt,
quâ

quâ fit ut faciliùs solitò afficiantur et convel-
lantur.

Faecum et urinae dejectiones involuntariae,
sphincterum paralyfin, aut debilitatem arguunt.

Strabismus, visûs obscuritas, vel defectus, à
musculorum quorundam oculi debilitate partis
retinae laesione, causam ducunt: quarundam
partium frigus inaequalem sanguinis circuitum
annunciat, minore quâ par est ad has partes de-
vecti quantitate.

Sudores gelidi et viscidi partim oriuntur cau-
sis modò enumeratis, partim cutis ejusque vasis
laxitati, quae humores faciliùs elabi finit.

Oriuntur petechiae à cutaneis vasculis ita de-
bilitatis ut rubri sanguinis globuli facilè per eo-
rum ora elabantur, fortassè à quadam sanguinis
tenuitate.

RATIO

RATIO MEDENDI.

CUM febris, secundùm multos medicos, nihil aliud sit quam salutaris conatus naturae ad noxam corpori illatam repellendam, inde concludere par esset nullis hîc remediis opus esse, naturamque suis propriis viribus committendam esse. Quanquam in multis casibus hoc tutò fieri posset, cùm tamen detrimentum corpori illatum magnum est, sagacissimi certè medici erit conatus, naturae vel adjuvare vel moderare prout res postulaverit : et in hoc magna pars medendi rationis in febribus consistit. Haec igitur in Typho instituenda sequentibus consiliis absolvi potest : I. Spasmus removendus est, nimiusque febris renixus debellandus. II. Causis debilitatis obviam eundum. III. Per status Typhi posteriores proclivitati humorum ad putredinem obsistendum est : eademque jam incepta corrigenda est.

CONSILIUM

CONSILIUM PRIMUM.

Inter remedia ad spasmum extremorum tollendum idonea, memorari debent emetica, diluentia, sales neutri, balnea, fomenta, &c.

Emetica non immeritò laudata sunt, et saepe adhibita: vixque ullum potentiùs remedium ad spasmum tollendum, quin imò ad febrem discutendam si maturè adhibeantur, notum est. Innumera referri possent exempla in quibus, emeticis opportunè adhibitis, morbus statim discussus est. Haec, non solùm fibras ventriculi musculares afficiendo, propter intimum inter hunc et cutem consensum, ad actionem cient vasa minima cutis, adeo ut sanguis in haec vasa magis impellatur, spasmusque ea constringens solvatur, sed etiam cruditates et viscidam pituitam quâ gravatur ventriculus, evacuânt, et ductus biliares et pancreaticum emulgent, et inde materiam, non rarò morbi fomitem, et per
ejus

ejus cursum aegro plurimum nocituram, expellunt. In morbi igitur initio, prudentis erit medici tentare quid haec valeant. Porrò inter emetica duo potissimum celebrantur, nempe radix ipecacuanhae, et antimonium. Inter antimonii praeparationes prae ceteris antefertur antimonium tartarifatum : huic enim satis certae, mitisque sunt facultates, cum aqua multum soluto, parvis et repetitis dosibus dato : ita tamen adhiberi debet ut, citò, facilem plenamque vomitionem moveat. Si antimonium tutò adhiberi non potest, et eligitur aliud remedium, ipecacuanha recens, in pulverem redacta, administretur, aut eadem cum vino infusa : haec in multis casibus mitissimum, optatissimumque remedium invenitur.

Diluentia. Haec perspirationem expedientes ad spasmus solvendum plurimum conferunt, acriamque in primis viis diluunt et obtundunt : hoc consilio plurimum aquae olim in febribus adhibebatur, sub nomine *diactae aquae* : quoniam tamen nimia liquidorum copia nocere potest,

test, et magnam debilitatem inducere, haec methodus non immeritò defuevit.

Decocta avenacea aut hordeacea, aut sola, aut salium quorundam ope gratè acidula facta; aqua super tostum panem infusa, aut cum lacte mixta; cerevisia tenuis, tantoperè ab illustri Sydenhamo adhibita, et alia hujusmodi pro diluentibus aegro sunt administranda: et quoniam idem potus, multùm repetitus, fastidium procreare potest, horum potuum varietatem praescribere debet medicus.

Praeter potus diluentes, *sales neutri* cum insigni beneficio adhibentur. Hi in certa quantitate in ventriculum recepti, paulo post sensum caloris in cutem generant, et inde non rarò facilis erumpit sudor: praeterea sales hi vomitum, qui tam saepe primum febris statum infestat, plerumque optimè sedant, et sic multùm aegro levamen afferunt. Qui ex alkali fixo, et acido vegetabili, conficiuntur, prae caeteris anteponendi sunt: quanquam sal alkalinum volatile utpote ad sudorem eliciendum valentius, cum iisdem

dem nativis acidis mixtum, non rarè usurpatur. Insigniter prodest, ad vomitum compescendum, haustus ille qui, *alkalinus effervesceus* dicitur; per vim aëris fixi eodem tempore extricati, irritabilitas ventriculi multùm levatur.

Balneum calidum ab antiquis ut patet è scriptis Galeni et Celsi, in febribus adhibitum fuit. Inter recentiores, celebr. Gilchrist eo feliciter usus est: id tamen nunc minus frequenter usurpatur. Recens *balneum frigidum*, curâ et experimentis sagacissimi Doctoris Currie Liverpooliensis, in usum revocatum est: diverso tamen ac antea modo; plurima frigida in corpus aegri affusa, vel ipso in frigidarium descendente. Hujusmodi lavatio frigida optimos effectus habere usu reperitur: post eam enim pulsus brevi moderatior fit, respiratio magis libera, exhalatio per cutem restituitur, extinguitur fitis, et lingua fit nitida, aeger deinde somno fruitur; tandem omnia symptomata mitescunt; hoc praestantissimum remedium nonnunquam febrem incipientem statim discutit: si sero adhibeatur non efficax est,

aliquantulum tamen levaminis non rarè affert. Balneum *pluviosum* cautè administrari debet, non quidem in omni febris statu: si frigus urgeat vel sudor prorumpat, ab eo abstinendum est. Cum gradus caloris ad 98, 100 vel 101 thermometri Farenheitiani augeatur, cum beneficio lavatio frigida administratur, hancque benè fert aeger. Si balneum *pluviosum* aegro, aut ejus cognatis reluctantibus, minus commodè praescribi possit, in ejus locum lavationes cum aqua paululùm tepida, vel cum aceto mixta, adhiberi possunt. Dum haec remedia primo quod indicavimus consilio praescribuntur, diaeta interim tenuis, regimenque antiphlogisticum non omittenda sunt. Optimè conveniunt ptisana, fructus acescentes ut aurantia, &c. quae febricitantibus gratissima sunt, et ad refrigerendum corpus multùm pollent.

Cautè vitandi sunt omnes stimuli, qui aegro molestiam afferre possunt: cavendum est ab omni mentis, et sensuum irritamine, qualia lux, strepitus, meditatio nimia, colloquia quae attentionem

tionem animi requirunt. Alvi duritiæ occurrendum est clysteribus, pro re nata repetendis, vel catharticis mitioribus, viz. tartaro purificato, mannâ, cassiâ, tamarindis, sodâ phosphoratâ, &c.

Somnus per noctem aegro conciliandus est, anodynorum ope, veluti opio, quod potissimum prodest si irritabilitas, delirium, vel convulsiones, ex nimia debilitate, et mobilitate oriantur. Cum caput dolet, et aeger comatosus sit, epispastica, non sine levamine, capiti vel nuchae applicantur.

CONSILIUM SECUNDUM.

Ea medicamenta, quae aliquâ roborante, et cardiacâ virtute gaudent, ad debilitatem Typho inductam removendam tonumque restituendam, optimè indicantur. Inter haec, cortex Peruvianus, et vinum, locum primum sibi vindicant. De cortice Peruviano hoc observandum est: si aliqua sit in morbi initio phlogistica diathesis, aut

imbecillis

imbecillis ventriculus nimis hoc remedio gravetur, ejus usus postponendus est: alias manu fati liberâ adhiberi potest, formâ, et dosi, viribus et statui aegri convenientibus.

Hodie, in febris, *vinum* ferè ubique praescribitur: cautè propinatum, inter omnia cardiaca adhuc nota, praecipuum est: roborantem et stimulantem vim habet; ventriculo gratum est, actionem cordis et arteriarum excitat, dolorem et delirium lenit. Prodest imprimis cùm omnia symptomata magnam debilitatem ostendunt, five initio five decursu morbi; cùm illud benè fert aeger eo liberaliùs sumendum est: si verò sanguis caput versus refluat, et phrenitidis periculum sit, vinum et omnia stimulantia fugienda sunt cane pejus et angue. Vini quantitas pro consuetudine morbi, duratione, aegri statu, appetitu, aut fastidio, et pro vini jam sumpti, effectibus, determinanda est.

Opium ut optimum cardiacum, a Sydenhamo, et aliis illustr. medicis, laudatum est: ritè adhibitum, multas molestiae causas suspendit; vires-

que

que aegri multum reficit: praeter haec, multa aromata praescribi possunt, veluti confectio cardiaca, et alia hujusmodi, prout requirit aegrotantis status.

Frigus, quod insigni roborante vi gaudet, corpori debite applicatum, adhiberi potest: sive aegrum aëri externo frigidulo exponendo, sive potus frigidos huic administrando.

CONSILIUM TERTIUM.

Cum aliqua humorum ad putredinem proclivitas deprehenditur, huic obveniendum est, sedulo omnem applicationem materiae putridae vel putrescentis ablegando: aeger, si fieri potest, a locis aëre vitiato repletis amoveri debet. Aër in cubiculo frequenter renovandus est: omnis effluviolorum accumulatio cautè vitanda: et idcirco stragula, et indusia lintea, saepe mutanda sunt: praeter haec, materia putrescens, quae in corpore congeritur, arceri debet: alvum saepe deplendo

plendo lenibus enematis: et excretiones urinae et perspirationis promovendo diluentibus et salibus neutris, jam memoratis. Ea interim remedia praescribi debent, quae directè putredini obviare, et hanc corrigere, noscuntur: veluti cinchona et vinum, fucci pomorum vel pyrorum fermentati, cerevisia Londinensis: et alia hujusmodi quae inter antiseptica numerantur.

Cùm magna fit in acido carbonico vis ad putredinem sistendam, et corrigendam, id enim non solùm in corporibus vitâ privatis, corruptionem sistere, sed etiam in rebus jam corruptis, suum solitum gratumque odorem, redintegrare fertur: copia ejus idonea aquae immista, sub forma enematis in anum injici potest; aut aëri immista in pulmones inhalari.

Frigus, magnâ quoque antisepticâ qualitate gaudet, et idcirco liberè corpori admoveatur.

Cùm aegrotans convalescere inceperit, maxima cura adhibenda erit, ne febris iterum redeat propter debilitatem morbo inductam; hinc usus
medi-

medicamentorum roborantium non illicò omit-
tendus ; in his diu perseveret aeger necesse est.

Diæta fit primùm levis, sed satis nutriens ; ci-
bus animalis non nisi parcâ manu fumatur. Om-
nis denique error, sive in ciborum quantitate,
vel qualitate, evitandus. Moderata exercitatio,
et prout vires benè tolerare possunt ; balnea fri-
gidula, et omnia quæ vires dent nervis et mu-
sculis, sensim adhibeantur, donec æger, integras
vires recuperans, consuetâ iterum fruatur vale-
tudine.



E TYPOGRAPHEO ACADEMICO,

